Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26300
Copyright: Admont, Benediktinerstift

quia decalogum legis cum quinque libris moysi integra consummatione [vel conseruatione]
compleuerat. ideo quindecim annos secundum legis numerum quem custodierat.
ad uitam auctos accepit. Post hec figuraliter sci rtm. quia quicumque per numerum isti
mysterium totius legis plenitudinem legis custodiunt. eterne salutis premium
consecuntur ac per legis consummationem ad uite eterne plenitudinem transeunt.
Cuius quidem regis pro signo conferende salutis. decem gradus domus sue in quibus
umbra descendere consueuerat. sole reuersum [vel retrorsum] ad ortum suum descendente regressus
scribitur. quis numerus quid mysterii habeat uideamus. Illi gradus isti temporum ordines
sunt. per quos umbra figurarum Christus descendit. et per quos item sol iusticie Christus post resurrec
tionem ascendit. Primus itaque gradus descensionis de deo in angelo fuit.
quia magni consilii nuntius erat. Denique et iacob sic alloquitur. Et dixit michi
angelus domini. Ego sum deus. cui unxisti titulum et uouisti uotum. ut et angelum
et deum ostenderet. Secundus gradus descensionis de angelo in patriarchis fuit.
quia in omnibus ut ait apostolus ipse operatus est. Tercius in legis datione. quia et in
lege locutus est. Quartus in ihesu naue. ut populum in terram repromissionis in
duceret. Quintus in iudicibus. quia eundem populum ipse per eos regebat. Sextus
in regibus iudeorum. quia in eis ipse regnabat. Septimus in prophetis. quia per eos est
nuntiatus. Octauus in pontificibus. quia ipse summus sacerdos est patris. Nonus
in homine. decimus in passione. Per hos enim decem gradus. quasi per umbram le
gis prisce Christus descendit. ac rursus post resurrectionem suam sol iusticie Christus per eosdem
gradus rursum in celos ascendit. et omnem illam umbram legis ueritatis radiis
illustrauit. obscura reuelans. clausa reserans. omnia tecta denudans.

De diuitiis eius chaldeis morbo iactantie ostensis. VII.

Quod ezechias rex diuitias suas chaldeis iactantie ostentatione
prodidit. et propterea perituras per prophetam audiuit. significat dei
seruum qui dum uirtutes uane glorie studio prodidit. mox eas perdere et de
mones operum suorum dominos facere. sic ille post ostentationis appetitum the
sauros suos esse fecit. sub dominio caldeis [dominio chaldeorum].

De transmigratione israhelis a nabuchodonosor in babylone facta. VIII.

Nam ipsa in babylonia transmigratio. quo etiam spe dei per ieremiam
prophetam iubet ut pergant et orent pro eis. in quorum regno peregrinantur.
quia in illorum pace etiam pax esset iustorum. ut edificarent domos et